

ex ipsa definitione causæ essentialiter subordinatæ, quippe quæ definitur quod sit ea, quæ ex natura sua in causando ab altera dependet. Vid. SCOTUS 1. sent. dist. 2. quest. 2. Ex quo sequitur, ad essentialem causarum subordinationem non sufficere, si una in essendo ab altera dependeat, hic enim insignis fuit lapsus Durandi; Sed hoc potius ad naturam causæ essentialiter subordinatæ requiritur, ut de ea, cui subordinatur, in causando dependeat, hoc est, ut citra concursum ac coinfluentiam ejus causæ actionem planè nullam exercere valeat.

§. 20. Quam egregiè Philosophorum Phænix nobis per omnia adstripletur, ex multis ejus locis, VII. Phys. 1. Text. 2. 11. Met. 11, t. 6. aliisque copiosè ostendi posset. Sed cum nos rectè memores simus promissi nostri, quo statim in fronte Lectori spem fecimus, fore, ut singula brevi finiremus pomærio, consulto hæc jam sicco, quod dicitur pede præterimus. Interea, qui plura hanc in rem desiderat adire poterit. B. Sclevogtum disp. 4. de indifferent. volunt hum. & cum primis Svarczinum Disp. XXII. hac in materia sua commendatione minime defraudandum.

§. 21. Evicta concursus divini existentia, de essentia, & natura ejus nunc erimus solliciti. Circa cujus indagacionem dispiciendum erit 1. ad quasnam actiones sit referendus? 2. an & quomodo sit immediatus. 3. quousque se extendat? 4. an sit determinatus, nec ne? est quomodo stare possit cum causæ secundæ liberæ libertate? Quibus brevem descriptionem Concursus divini subjuncturi sumus, & deinde toti Disputationi Colophonem imposituri. De singulis breviter.

§. 22 Primum membrum, quod attinet, usu, tum Philosophis tum Theologis receptissima est distinctio actionum divinarum, (intellige realium) in actiones ad intra. Illæ